

- 253, 41—48 satisfaceret et ut corda multorum deliniret. Post hec regina moritur²⁴⁴) et excenteratur, venter autem eius sabulo et cineribus adimpletur. Post hec facies eius balsamo linitur totumque corpus eius panno cereo circumdatur ac sericis vestimentis induitur preciosis. Caput eius^y) albo serico pepulatur et corona sibi superponitur deaurata. Post hec in archam ex fago peroptime factam supina manus supra pectus positas inponitur et ferreo clauditur instrumento. His expletis ex Vienna in Basileam cum equis quadriginta ducitur et, ut credebatur, cum pecunia copiosa. Fuerunt autem in comitatu suo fratres predicatorum duo et fratres minores duo et domine, quot tres quadrigae ducere potuerunt. Adduxerunt autem se eis homines circiter quadringenti. Et rex scripsit episcopo Basiliensi, ut reginam defunctam sollemniter sepeliret. Convenerunt igitur ibi tres episcopi, abbates et prepositi, multi alii clerici regulares et seculares circiter mille ducenti, qui omnes bono ordine processionaliter cum candelis in manibus in vigilia Sancti Benedicti regine occurrerunt et ad cathedralem ecclesiam conduxerunt, quos sequebatur maior pars civium virorum et mulierum. Tribus igitur episcopis ibidem divina celebrantibus regine corpus prope tumbam erigitur et omnibus presentibus ostenditur et post ultimam missam de feretro deponitur et per abbates ad fossam tumuli deportatur et cum maximo fletu omnium presertim nobilium sepelitur. Hec retulerunt, qui regine gloriam quesiverunt. Episcopus autem clericos omnes ad prandium invitavit et eis necessaria sollemniter ministravit. Facta sunt hec anno domini milesimo ducesimo octogesimo octavo²⁴⁵).
- 253, 49—254, 5
20. März
- 1288

(fehlt) De mimo, qui vidit in purgatorio inter alios Rüdolphum²⁴⁶) secundum, qui erat filius Rüdolphi regis Romanorum.

Frater Otto ordinis fratrum predicatorum in veritate dixit hoc miraculum, quod sequitur, in Luceria²⁴⁷) contigisse: Duo viri prope jam nominatum civitatem morabantur, unus faber ferrarius, qui dextrariis dominorum ferrum pedibus apponebat, alter nomine Zalchart mimus, qui cum fidicina vel vigella^z)²⁴⁸) juvenculis solacia faciebat. Cum semel

y) *Hs. eius*

z) vel vigella *Korrekturzusatz*

²⁴⁴) 16. Febr. 1281 in Wien.

²⁴⁵) Vielmehr 1281.

²⁴⁶) Rudolf von Habsburg, geb. 1271, gest. 10. 5. 1290.

²⁴⁷) Luzern, urkd. Luceria, Lucerna im 13. Jh.

²⁴⁸) Vigella (figella) ist eine Form des mittellateinischen Fiedelnamens. Vgl. H. S t e g e r, *Philologia musica* (1971) S. 18 und S. 100.